



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

CXX. Ermengardis Comitissae Ceritaniensis donatio ad Olibam Comitem  
virum suum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

Actum Parisius urbe in Dei nomine feliciter.  
Amen.

## C X X.

*Ermengardis Comitissa Ceritanensis donatio  
ad Olibam Comitem virum suum.*

An. 888.  
Ex chartu-  
lario mo-  
nasterij A-  
rulenſis.

**I**N nomine Domini. Ego Ermengardis Comitissa donator sum tibi viro meo Oliba gratia Dei Comes. Manifestum est enim quia placuit in animis meis & placet, nullius cogentis imperio nec suadentis ingenio, sed propria exoptata mea elegeri cum Deo ut tibi supraſcripto viro meo donationem fecissem de aliquo de proprietate mea, sicuti & facio. Dono namque tibi alaudem meum vocitatum nomine Cultiua, qui est in pago Helenense, in comitato Valle Alperi, cum ipsa Ecclesia sancta Maria qui ibidem est, cum decimis & primiciis suis & oblationes fidelium, cum suo cimiterio, & cum ipsas domos qui sunt circa ipsam Ecclesiam, cum illarum exios & regressios earum. Et dono tibi ipsam meum alaudem qui est in pago Helenense, in comitatu Valle Alperi. Et est jandictus alaudes casus, casalibus, curtis, curtalibus, terris, vineis, pratis, pascuis, hortis, hortibus, molendinis, cum illorum caput aquis, silvis, garricis, aquis, aquarumve ductibus vel reductibus, arboribus fructuosus vel infructuosus, cum exios & regressios earum. Et afrontat ipse alaudes de parte orientis in terminio de ipsos hortos vel de Mazaned, de meridie in in Villa Rubia, de occiduo in terminio de Serralonga vel in Montenegro, de Circi in terminio de ipso Frexano vel in gurgio Muio. Quantum infra istas afrontationes includunt, sic dono tibi jandictos alaudes cum ipsa Ecclesia ab integre, ut quicquid exinde facere vel judicare volueris, liberam in Dei nomine habeas potestatem. Quod si ego donatrix aut ullusque homo qui contra hanc donationem venerit ad irumpendum, non hoc valeat vindicare, sed componat omnia superius scripta in duplo cum omni sua immelioratione, & inantea ista donatio firma permaneat omnique tempore. Facta donatione xvi. Kal. Mart. anno primo regnante Hugone Rege. Signum Ermengardis Comitissa qua hanc istam donationem fecit & testes firmare rogavit. S. Vvifredus. S. Seniofredus. S. Adalbertus. Paschlamirus Presbyter qui hanc istam donationem scripsit sub die & anno quo supra.

## C X X I.

*Odonis Rex Francorum praeceptum pro  
monasterio Solemniacensi.*

An. 888.  
Ex schedis  
V. C. Jacobi  
Sizmon-  
di.

**I**N nomine Dei summi & aeterni Regis. Odo gratia Dei Rex. Quandocunque servorum Dei nostrorumque fidelium iustis & rationabilibus efflagitationibus aures celsitudinis nostrae assensum praebentes accommodamus, regiae maiestatis consuetudinem studemus, ac per hoc praemia aeternae felicitatis facilius nos adepturos nul-

latus dubitamus. Idcirco notum sit omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus & nostris praesentibus sive futuris quia venerabilis vir Teodericus Abba ex monasterio Solemniaco olim constructo ab Elegio Noviomagenſi Episcopo tempore Dagoberti gloriosissimi Regis Francorum, posito super fluviolo Brivancia, quod jandictus Pontifex in honore sanctae Dei genitricis Mariae sanctique Petri atque omnium Apostolorum, Dionysij sociorumque ejus, atque Pancratij, Crispini & Crispiniani, & sanctorum confessorum Hilarij, Martini, atque Medardi, ad nostram accedens reverenter clementiam deprecatus est ut idem monasterium cum omnibus hominibus & villis vel rebus sibi iuste legaliterque pertinentibus, simul etiam cum his quae divina pietas per suos quosque fideles eidem monasterio augere voluerit, sub nostrae immunitatis tuitione ac defensionis praetextu recipere dignemur. Cujus precibus clementi favore annuimus. Quin etiam hoc magnitudinis nostrae praecipuum speciali conditione fieri iussimus; per quod praefatum monasterium, veluti praemissum est, cum omnibus rebus sibi pertinentibus sub nostrae immunitatis tuitione suscepisse universis fidelibus nostris notum esse volumus; praecipientesque jubemus ut nulli liceat fidelium Dei atque nostrorum praesentibus vel futuris temporibus idem intrare monasterium vel in quamlibet sibi pertinentem villam aut agros seu silvas ad causas audiendas, aut judicia publica terminanda, aut paratas faciendas vel exigendas, aut mansionaticos vel paraveredos vel ullam quamlibet redhibitionem exigendam. Sed quicquid ex monasterij rebus exigi potest, Abbatibus & monachis in eodem loco Deo servientibus proficiat in stipendiorum augmentis. Statuimus in terea ut habeant monachi in eodem loco Domino famulantes secundum patris Benedicti regulae institutionem omni tempore ex se ipsis eligendi Abbatem, ac nulli liceat aliquando ex rebus ejusdem Ecclesiae quicquam illis subtrahere vel minere, aut homines sibi pertinentes vel super terram ipsius commanentes inquietare, diltringere, aut fidejussores tollere. Sed omni tempore rectoribus & monachis frequenter dicti monasterij quicquid ex eis esse potest proſit in erogationem, & animae nostrae proficiat ad liberationem. Haec namque si quis nostrae bonae voluntatis sancta delere conatus fuerit, tali cum Dominus feriat ultione quatinus nullo modo suam vindicet voluntatem, qui hanc nostram infringere voluerit auctoritatem. Ut autem haec nostrae munificentiae auctoritas omni tempore inviolabilis & a nobis ac successoribus nostris observetur, manu nostra eam subter firmavimus, & de anulo nostro sigillari fecimus.

Signum Odonis gloriosissimi Regis.  
Trohannus Notarius ad vicem Eblonis recognovit.

Data Idus Junias anno incarnationis Domini  
DCCCXXXVIII. Indictione vi. anno secundo  
regnante Domino Odone Rege glorioso.

Actum monasterio sancti Maximini in Dei nomine feliciter. Amen.

